

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
 conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
 naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
 sublevem et a mortis limine restituam,
 quem neque sancta Venus molli requiescere somno
 desertum in lecto caelibe perpetitur,
 nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
 oblectant, cum mens anxia pervigilat,
 id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum
 muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.
 sed tibi ne mea sint ignota incommoda, mi Alli,
 neu me odisse putas hospitis officium,
 accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
 ne amplius a misero dona beata petas.
 tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,
 iocundum cum aetas florida ver ageret,
 multa satis lusi; non est dea nescia nostri,
 quae dulcem curis miscet amaritiem:
 sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
 abstulit. o misero frater adempte mihi,
 tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
 tecum una tota est nostra sepulta domus,
 omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
 quae tuus in vita dulcis alebat amor.
 cuius ego interitu tota de mente fugavi
 haec studia atque omnes delicias animi.
 quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
 esse, quod hic quisquis de meliore nota
 frigida deserto tepefactet membra cubili,